



hoc tamen est rei caput, et laudum compendium
fuisse eam defunctæ Heroïnæ archerypon,
filiamque a matre cum sanguine hausisse virtutum semina,
more fluuiorum,

qui, dum terras auri feraces permeant,
ramenta pretiosi metalli in alueum suum deuehunt.

Tenellam adhuc

Augusta gloriosiss. memoriæ Regina

C H A R L O T T A A M A L I A

in aulam suam recepit,

receptam usque ad annum MDCCXIV (quo Diua terras deseruit) fouit.

Illuc translata et ætate et virtutibus floruit,

ut arbores, quæ transplantatæ virescunt.

In aula sanctitatis plenissima,

ut ipsum immortalis Dei domicilium diceres,

quid mirum

si pietatem hauserit, didicerit, custodiuerit?

Reginam habuit fauentem,

quæ, cum optima esset, non nisi optimis fauebat.

A. MDCCXIV nupsit illustrissimo et excellentissimo

Dn. **I V S T O S C H O L T E N,**

Equ. aur. ord. Eleph. Regique exercitus Imperatori,

Heroi sago et toga illustri.

Summi viri felicitas

tam auspiciis nuptiis ad summum peruenit fastigium.

Nil habuit fortuna, quod daret maius.

Vinculum coniugale, quod Charites texuerant,

Parcæ inexorabiles A. MDCCXXI ruperunt.

Ab anno MDCCXXI usque ad annum MDCCXXIII commorata est Rendesburgi,

ut turtur sine compare,

ut vitis sine pedamento,

ut corona sine capite.

Sed

erat sibi pretium, et sibi sufficiebat ipsa.

A. MDCCXXIII accita in aulam rediit,

ut aulæ Reginae augustissimæ, nunc regnantis,

tum Principis Regiæ, summa cum auctoritate præesset.

Præfuit